

Król Władysław Jagiełło zatwierdza wilkierz spadkowy miasta Nowego Sącza, 9 III 1403.

Akta grodzkie i ziemskie z czasów Rzeczypospolitej Polskiej z archiwum tak zwanego bernardyńskiego we Lwowie w skutek fundacyi śp. Alexandra hr. Stadnickiego. Wyd. staraniem Galicyjskiego Wydziału Krajowego, t. 9, Lwów 1883, nr 11, s. 13-14.

Odczyt: Kamil Sorka

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humane nature comoda nichil dignius memoria habeatur, opportunum existit, ut actus hominum litterarum apicibus et testium annotatione perhennentur, proinde nos Wladislaus Dei gracia Rex Polonie Lithwanieque princeps supremus et heres Russie etc. significamus tenore presencium quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habiuturis, quod attente mentis intuitu perpendentes clare fidei constanciam et multarum probitatum merita, quibus cives nostri Sandecenses nostram celsitudinem actenus venerabantur et in posterum, ut non ambigimus, non desinent venerari, horum intuitu volentes ipsos specialis gracie prerogativa prevenire et eos in iuribus et libertatibus et privilegiis cum civibus nostris Cracouiensibus coequare, ipsos hiis prerogativis infrascriptis circa matrimonia contrahenda volumus perfrui et gaudere, horum tenoribus iugiter decernentes, quod quandocumque uxor alicuius civis Sandecensis decesserit ab hac luce, tunc omnia suppellectilia non ad aliquem alium nisi ad maritum et pueros ipsius cuiuscumque sexus fuerint pertinere debent et devolvi, aliis omnibus propinquis exclusis. Si vero pueri non fuerint, extunc omnia suppellectilia, que predicta uxor mortua ad maritum eius apportaverat vel etiam dictorum suppellectiliorum remanencie sorori dicte mortue aut congnate ipsius in linea consangwineitatis propinquiore demere presententur. Si autem aliquis virorum prima sua uxore defuncta et secunda, et contraxerit cum tertia idemque vir procedat ab hac vita extunc omnia suppellectilia, que alias in Theutonico gerede dicuntur, que ipsorum tempore conquisita sunt parte ab utraque, non ad alium nisi ad solam relictam pertinebunt et integraliter devolventur contradiccione cuiuslibet quiescente. Que quidem iura superius premissa eidem civitati Sandecensi conferrimus et donamus perpetue et in evum. Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio litterarum. Actum Cracouie feria sexta proxima ante dominicam Reminiscere anno Domini millesimo CCCC^o tercio, presentibus hiis validis strenuisque viris Iohanne de Thanczin Castellano Cracouiensi, Iohanne de Tharnow Cracouiensi, Sandziwogio Swidwa Poznaniensi, Petro Kmytha Sandomiriensi, Sandziwogio de Schubin Kalisiensi, Iohanne Liganza Lanciensi et Iacobo de Koneczpole Syradiensi Palatinis multisque aliis nostris fidelibus fidedignis. Datum per manus venerabilis in Christo patris domini Nicolai de Kurow sancte Cneznensis ecclesie Archiepiscopi nobis sincere dilecti.

Ad relacionem domini Iohannis de Thanczin Castellani Cracouiensis.

hasła: wilkierz, Nowy Sącz, mieszczanie, prawo miejskie, wdowa, wdowiec, dziedziczenie beztestamentowe, dziedziczenie między małżonkami, krewni, rzeczy ruchome, nieruchomości, sprzęty domowe, dzieci, ustanowienie dziedzica pod warunkiem, wiek dojrzałości]